

πi
2019





117/17

X 2346523

Π i
2019

(17)

DE

VSV SCRIPTORVM VETERIS ECCLESIAE

DISPUTATIO PRIMA

AMPLISS. PHILOS. ORDINIS CONSENSV
PROPOSITA

ET SVB

PRAESIDIO

D. IO. DAN. RITTERI

CONSIL. AVL. ELECT. SAX. ATQVE HISTOR
ET MORAL. P. P. O

DEFENSA

A

M. SAM. GODFR. GEYSERO
GORLICENSI



DIE IVLII A. C. clō 1ōcc LXV

VITEBERGAE

EMENDATAVIT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHVS



DE
VSV-SCRIPTORVM
VETERIS ECCLESIAE

DI. PAVLUS PRIMA

INSTIT. LIBR. S. MARTINI COBURGI

FR. 1811

FR. 1811

D. IO. DAN. K. H. H. H.

INSTIT. LIBR. S. MARTINI COBURGI

FR. 1811

INSTIT. LIBR. S. MARTINI COBURGI

FR. 1811

FR. 1811

FR. 1811

FR. 1811

FR. 1811

FR. 1811

LIBR. S. MARTINI
COBURGI





DE
VSV SCRIPTORVM
VETERIS ECCLESIAE

DISPV TATIO I



um in animum induxissem, quantulae-
cunque doctrinae meae specimen ali-
quod edere, quod nec abhorreret a stu-
diorum meorum ratione nec omni uti-
litate fructu plane careret: incidi for-
te in notissimum illum libellum IO.
DALLAEI *de Vsu Patrum*; a) cuius le-
ctio cum uehementer delectarer, simul indignari tamen
coepi, doctissimum uirum paullo iniquiorem fuisse bonis
Patribus, qui, utut sunt, certe et autoritatis pondere, et
doctrinae copia et pietatis sensu multis nominibus prodesse
possunt Theologiae bonarumque adeo litterarum studiosis.

A 2

Nam

- a) Plena huius libri inscriptio est: *Io. Dallaei de usu Patrum ad ea definienda religionis capita, quae sunt hodie controuersa, libri duo, latine et Gallico a I. Mettayero redditi, ab Autore recogniti, aucti et emendati. Geneuae 1682. quaternis.*

Nam et ipse DALLAEVS, etsi omnia, quae ad debilitandam infringendamque Patrum autoritatem ullo modo pertinere posse uideantur, callide operoseque collegit et in unum quasi locum congeffit: non ab omni tamen usu exclusit optimorum ueteris ecclesiae Doctorum scripta; et multo magis res ipsa loquitur, haut pauca in iis inesse, quibus diuinarum humanarumque litterarum studium mirifice possit adiuuari. Quo magis arrisit mihi consilium, quod statim, cum legissem DALLAEI librum, ceperam, *de uario et multiplici usu Patrum* breuiter et pro uirium mearum tenui admodum modulo disserendi eorumque quasi patrocinium suscipiendi; si modo is ego essem, cuius patrocinio ad eorum uel dignitatem uel autoritatem aliquid accedere posse uideatur. Verumtamen quamuis non ignorem, quanta doctrinae copia et quam arcta longoque usu contracta quasi familiaritas cum ueterum Doctorum scriptis requiratur ab eo, qui de illorum utilitate plene perfecteque exponere uelit: quod si de me in hac mea aetate iactare uellem, nae ego essem omnium hominum impudentissimus merito existimandus; tamen hoc meum consilium ideo non penitus ablicendum putauit. Nam ut illud, quod egomet ipse, licet haut multo, nonnullo tamen usu, in legendis graecae et latinae ecclesiae Scriptoribus expertus sum, taceam; contigit mihi, ut, dum haec scribere pararem, multa ad laudem et commendationem Patrum apprime facientia, in animum redirent, quae et in praestantissimorum nostri superiorisque inprimis acui Theologorum libris passim deprehenderam et in schola incomparabilis Theologi communisque Germaniae praeceptoris D. IO. AVG. ERNESTI, olim, cum *Lipsiae* bonis litteris operam darem, cognoueram. Quae
uti

uti ingenue fateor; ita unumquemque, cui forte haec rudis et inchoata scriptiuncula in manus ueniat, etiam atque etiam rogatum uolo, ut meo me consilio metiatur, neue hoc mihi propositum fuisse existimet, ut eruditionis aliquam speciem ostentarem; sed primum, ut de studiorum meorum ratione iis, quorum haec scire interest, constaret; deinde ut mori, in scholis *Germaniae* recepto, satisfacerem, atque proposita et defensa breui disputatione occasionem et facultatem nanciscerem, in hac celeberrima Vniuersitate litterarum, bonas artes docendo, uires ingenii et periclitandi et exercendi. Equidem omnia, quae optabam, me consecutum esse existimabo, si illud modo patefiat, me non ex eo hominum genere esse, qui omnia studia sua ad panem lucrandum referant, et posse aliquando, si maturior aetas, longior usus rerum magisque in succum et sanguinem conuersa optimorum utriusque linguae scriptorum lectio accesserit, talem me euadere, in quo, tanquam in herba non fallaci, aliquantum boni fructus appareat. Haec, non alienum uisum fuit, uniuerse praefari; nunc ad causam ipsam, age, aggrediamur.

§. I

DE QVIBVS VETERIS ECCLESIAE DOCTORIBVS SERMO FVTVRVS SIT, EXPONITVR

Iam primum omnium, ne nimis uaga et dissoluta nostra sit disputatio, accurate diligenterque definiendum est, quibus veteris ecclesiae Doctoribus, eum, quem quaerimus, usum tribuendum existimemus. Est enim, ut satis constat,

huius rei non una eademque hominum doctorum sententia. Mirum quam liberales hic sint romanae ecclesiae Theologi, qui, ut fit, ubi malae suae causae nonnihil se praesidii inuenisse putant, undecunque omnia corradunt atque ualde se beatos existimant, si quid, quod e re sua esse uideatur, forte deprehendant, uel ex medii inferiorisque aevi Doctoribus haustum; quibus etiam libentius fere abutuntur, quam priorum seculorum scriptoribus. Quod licet nullo modo concedendum sit romanis Theologis: nimis tamen parci, ut mihi quidem uidetur, e contrario ii sunt, qui usum Patrum non nisi trecentorum post Christum natum annorum terminis definiunt. Etenim ne negem, quod profecto negari non potest, quo quis propius absit ab aetate Apostolorum, eo maiorem eius autoritatem esse, in iis praesertim capitibus fidei, quae sunt controuersa inter nostrae et romanae formulae Theologos: non his tamen finibus circumscriptus est omnis Patrum usus; quippe qui diffusus est, ut deinceps uidebimus, per plurimas humanioris litteraturae et per omnes fere Theologiae disciplinas, quarum nullam patitur penitus esse expertem sui. Praeterea affirmare posse mihi uideor, in multis quoque controuersis Theologiae locis non contemnenda esse testimonia scriptorum seculi quarti et quinti post Christum natum, a quibus haut pauci ecclesiae romanae errores quam longissime absunt. Exemplo sit μεταμορφωσις illa Paschasiana, confessio auricularis, Primatus Papae, cet.

Quare equidem iis fere assentior, qui ad sex priorum seculorum tempora usum Patrum inprimis referunt; in quibus est ANDR. RIVETVS (*in Praef. Crit. S. praefixa p. 6.*)

Neque

Neque tamen negandum est, posterioris etiam temporis scriptorum esse usum nonnullum, minime a nobis praeter eundum. Quis doctus et harum rerum studiosus v. c. IO. DAMASCENO, EVSTATHIO, PHOTIO, OECUMENIO, THEOPHYLACTO, BERNHARDO, cet. non aegre careat? Quis non iure laetetur de gravissimis veritatis testimoniis, quibus saepe in lectione corruptissimae ecclesiae scriptorum, praeter spem et opinionem beamur? (*Vid. FLACII Catal. Test. veritatis.*) Erunt igitur et hi nonnunquam ad partes uocandi, priorum tamen seculorum praecipue ratione habita.

§. II

BREVIS NARRATIO DE IIS, QVI PATRIBVS PLVS IVSTO TRIBVERE CONSVEVERVNT

Atque ego non ignoro, totum hunc locum *de Vsu Patrum* admodum esse lubricum. Fuit enim semper atque etiamnum est, mirabilis inter homines doctos dissensio de pretio sanctis Patribus statuendo; quod multi admodum exiguum ac pene nullum esse putant, ceteri tantum esse aiunt, ut nihil possit supra. Sed quod fere fieri solet in talibus rebus, plerique nec laudandi nec uituperandi satis iustum modum tenuisse videntur.

In laudandis Patribus aperte nimii sunt et tanquam prodigi, primum, *romanae ecclesiae Doctores*, quos, nouimus, traditionem, quam uocant, eodem fere in pretio habere, quo

quo ipsam scripturam sacram, quamquam in hoc iudicio ipsi Patres omni modo iis aduersentur. Quos si audiuisent, profecto a tam ineptis et immoderatis Patrum laudibus, quae passim occurrunt, sibi temperassent scriptores pontificii. Verissime CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, *nemi- ni, inquit, (in Catech. 4.) simpliciter fidem adhibendam esse, nisi, de diuinis scripturis, eorum, quae dicat, demonstrationem afferat.* Eundem fere in modum Augustinus (*contra Crescent. lib. II. c. 31.*) *Prophetarum, inquit, et Apostolorum libros esse, secundum quos de ceteris litteris uel fidelium uel infidelium iudicium fieri debeat.* Quorum utriusque num quid magis potest esse con- trarium, quam illud LVCAE, *Tudensis Episcopi, (ap. DALLAEVM de Vsf. Patr. p. 210.) qui omnia Patrum dicta ueneranda esse, ait, sic- ut Euangelium Dei, quasi per spiritum sanctum prolata.*

Ac sane Romanorum Theologorum animum et uoluntatem reputanti non mirum debet uideri tantum et tam immoderatum eorum erga Patres ecclesiae studium. Nam, ut alia omittam, negandum non est, omnino occurrere quaedam in libris veterum Doctorum, quibus facile aliquis fucum imperitis facere possit. Extat hac de re elegans et lectu dignissima obseruatio IS. CASAVBONI (*in notis ad Gregorii Nyssen. ep. ad Eustathiam Hanov. 1607. p. 75.*) quam deinceps in medium proferam, cum ea iterum nobis utendum erit. Vbinam autem gentium inuenias Scriptorem huma- num tam diligentem, omnes uoculas tam quasi numerantem et ad uiuum refecantem, ita semper intentum animum ha- bentem, ita semper uigilacem ueluti attentionem praestan- tem, ut nulla unquam incommoda dictione, nulla unquam incommoda uocula utatur, quae argutis scilicet hominibus occasio-

occasionem praebet, ingenium suum gnauiter exercendi, et omne, quicquid libitum sibi est, inde extorquendi. Quodsi pontificii Doctores tale quippiam deprehendant in scriptoribus ueteris ecclesiae, bone Deus! quam auide arripiunt! quam firmiter tenent! quam pleno ore laudant! Contra uideres eosdem egregios Patrum laudatores, si quando aliquid offendunt, quod praeconceptis eorum opinionibus perspicue aduersatur, anxie haerere, huc et illuc se uertere, atque multum de honorifico illo iudicio, quo alias utuntur, remittere. Cuius generis insignia quaedam exempla dedit RIVETVS (*in lib. laud. p. 40. seqq.*) quorum ut unum saltem repetam, quid potest esse impudentius, quam illud Episcopi BISONI. *Ego, inquit ille, plus uni summo Pontifici crederem, in his quae fidei mysteria tangunt quam mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis.* Haut multum abest ab illa impudentia BRISACERIVS (*in Iansenisme confondu apud Dallaeum l. c. p. 318.*) omnes Patrum et Conciliorum allegationes regulas esse mortuas, affirmans, quae nullum alium uigorem habeant, quam, quem iis det uiuentis ac praesentis ecclesiae, (h. e. Papae et Iesuitarum) uel approbatio, uel interpretatio, uel, ut melius dixisset, detorsio. Sed non opus est in re clara plura uerba facere. Satis unicuique uel ex his, quae attulimus, perspicuum esse existimo, immoderatae illae laudes, quibus veteres Patres a Pontificiis scriptoribus saepe usque ad coelum extolluntur, quo pertineant, et quam uerum adeo sit illud, quod MELCHIOR CANVS, elegantissimus ecclesiae romanae Theologus, ingenue et praeter omnem familiae suae consuetudinem aperte fatetur, dum (*in locis Theologicis lib. VII. c. 3. n. 4.*) eum, qui Patres ecclesiae supra modum extollat, statuit, non iam sanctorum religione, sed sui ipsius amore capi et sub ueterum nomine nouas opiniones inuebere conari.

B

Dein-

Deinde in illis, qui Patrum auctoritati plus iusto tribuant, referri etiam uideo *Britannicos Theologos*, et eos quidem, qui *Episcopales* dicuntur. Neque sane id uel negari plane uel dissimulari potest. Norunt, qui ista tractant, in quanto pretio apud anglicanae ecclesiae Doctores episcopalis dignitas habeatur. Ad tuendos nempe, qui inde proueniunt, magnos reditus, aliquantulum praesidii in scriptis Patrum inuenisse sibi uisi sunt; atque hinc fluxisse dicitur, quicquid in laudatione, veteribus Patribus a Britannis data, nimium apparet. Sed utcumque sit, diffiteri tamen nemo potest, *Britannicos Theologos*, si a *MATHAEO SCRIVENERO* disceris (*in Apologia pro sanctae ecclesiae Patribus aduersus Dallaeum*), haut paullo molliori articulo totum istum locum tractare, quam ecclesiae romanae Doctores.

Denique ex nostrae ecclesiae Doctoribus *GEORGIUS CALIXTVS*, consiliis *svvrtinas*, mire fauens, in *Apparatu theologico*, utilissimo alias libro, et passim alibi, ita de auctoritate Patrum loquitur, ut eam diuinæ Scripturarum sacrarum auctoritati tantum non adiunxisse uideatur. Cui praeter alios iure se opposuit, celeberrimus in hac uniuersitate litterarum Theologus, *D. ABRAH. CALOVIUS* inprimisque in *Methodo studii theologici*.

§. III

BREVITER RECENSENTVR, QUI DE SCRIPTORIBVS VETERIS ECCLESIAE NIMIS TENVITER IVDICARVNT

Iam iuuat de iis breuiter exponere, qui usum et auctoritatem et doctrinam Patrum supra modum extenuasse existimandi sunt. Nescio an primo loco hic ponam *IO. DALLAEVM*,

LAEVUM, rarae profecto et reconditae eruditionis uirum, qui tantis exactissimae doctrinae, ex antiquitate haustae, copiis instructus, castra Pontificiorum aggressus est, ut prope solus cum iis debellasse uideri possit. Quo magis mirandum, tantae eruditionis uirum et tot adiutum etiam veteris ecclesiae Scriptoribus, in iudicio de usu Patrum non id seruauisse temperamentum, quod rei et causae consentaneum esset. Sed manifeste apparet, uirum doctissimum quadam *ὑπερβολῇ τῆς ἀνθολογῆς* abreptum, dum contra pontificios Theologos, non omnia tribuenda esse Patribus, probare uellet, eo deuenisse, ut nihil fere iis relinqueret. Id quamuis more suo, id est, eleganter, docte et copiose persecutus sit omnemque operam nauarit, ut, quod uellet, obrineret: multa tamen contra dici possunt, quae non sunt contemnenda.

Nam, ut omittam, ipsum DALLAEVUM non ubique sibi satis constare, testimoniis Patrum, quae hic tantopere contemnit, saepissime alias contra Pontificios in auxilium uocatis: primo, quis hoc sibi persuaderi patiatur, auctoritatem ueterum Patrum ideo penitus abiiciendam esse, quia multa, quae sub illorum nomine circumferuntur, scripta, spuria, multa etiam interpolata, corrupta, immutata sint? (l. c. p. 60. seqq.) Quid? nullane Ciceronis, ut hoc utar, auctoritas, quia scripta nonnulla exstant, quae Ciceronis nomine falso inscriuntur? Nullane auctoritas Herodoti, Thucydidis, Livii, cet. quia loca quaedam in horum libris corrupta sunt? Est haec criticae artis dos, ut, quae spuria sint, discernere a genuinis; quae deprauata, emendare ad optimorum Codicum fidem doceat. Neque defuerunt eruditissimi omnis aetatis uiri, qui hoc cum magna et doctrinae suae fama et antiquitatis studiosorum utilitate tam in ueteris ecclesiae quam in omnibus Graeciae et Romae antiquae Scriptoribus praestitisse existimandi sint.

Quis porro ferat hoc, quando doctissimus DALLAEVS (p. 71. l. c.) dicit, *pene in eam sese adduci sententiam, ut ex antiquitate nihil sani, nihil incorrupti superesse existimet, praeter ea, quae nullius fuerint momenti, uel quae sine summa infamia et omnibus reclamantibus contaminari et alterari non potuerint.* Quae sententia profecto non longe abest a temeritate illa HARDVINI, qui dura et perfricta fronte omnem antiquitati fidem derogare conatus est; a doctissimis uiris iure refutatus et nuper admodum a uiro celeberrimo et litteris ornandis nato CHRIST. AD. KLOZIO, ^{b)} quem ut amicum nominem, incredibilis eius humanitas et beneuolentia permittunt, ut elegantiorum uero litterarum uindicem, ingenium, doctrina, facundia et quicquid laudari in elegantissimo uiro potest, merentur.

Praeterea etiam hoc non potui concoquere, cum DALLAEVS (p. 120. seqq.) omnem fere Patrum usum ea de causa tollere uideatur, quia scripta illorum difficulter intelligi queant, *cum propter linguas, quibus utantur et loquendi modos iis proprios, tum propter rerum explicandarum uariis Rhetoricae et Dialecticae artificii obscuratam et impeditam rationem; item, quia plerasque uoces, alio, quam qui nunc in usu sit, sensu usurpent.* Nam, nisi ego egregie fallor, plane eadem omnium antiquorum scriptorum ratio est. Num quis negat, neminem in legendis Graecorum et Romanorum Autorum, quos uocant, libris cum fructu uersari posse, nisi qui seuera lege in utriusque linguae studio profecerit? Nonne et ipsa Scriptura sacra habet multos loquendi modos sibi proprios, quos nisi probe calleas, in quaerendo uero Scripturae S. sensu frustra te torqueas? Quis uero ideo audeat dicere parum uel autoritatis uel utilitatis habere scriptores ueteres, quia non nisi a linguarum ueterum antiquitatisque bene et litterate peritis intelligi possint.

Porro

b) Liber inscribitur *C. A. Klozii Vindicatae Q. Horatii Flacci. Accedit Commentarius in Carmina Poetae.* Breaeae 1764. Oëtonis.

Porro in percensendis quoque erroribus Patrum DALLAEVS paullo iniquior mihi esse uidetur; ueluti cum (l. c. p. 281.) hoc in erroribus Patrum refert, *quod Augustinus euidenter in illam opinionem propendat, animam esse extraduce et de patre in filium transire et ex eius substantia non minus quam corpus progigni, minime uero a Deo immediate creari et immitti, quae bodie nostra omnium fides sit.* Sed id a uero est alienissimum. Possem enim, si necesse esset, multos nostrae ecclesiae Theologos eosque doctissimos laudare, quibus illa AVGVSTINI opinio uehementer probaretur; quanquam, si dicendum, quod res est, neutra harum sententiarum, meo quidem iudicio, plane ad liquidum perducta sit. Verum hac de re plura dicendi atque omnia DALLAEI argumenta, quae ad minuendam Patrum auctoritatem pertinere uult, separatim persequendi, hic non est locus. Quae dixi, eo tantum dixi, ut ostenderem, uirum doctissimum rem non semper ita moderatum esse, ut iusta reprehensione careret.

Adstipulatores tamen nactus est DALLAEVS haut paucos, inprimisque IO. CLERICVM, qui nullam fere occasionem ☉ detrahendi de bonis Patribus eosque in inuidiam uocandi, praetereundam sibi putauit; aegre, ut opinor, passus, veteres Patres in tanto pretio haberi, quos eruditione et doctrinae copia longe superare sibi uidebatur. Neque IO. BARBEYRACVS (in *Traité de la Morale des Peres de l'eglise*) eum semper modum adhibuisse uidetur, qui conueniat aequitari docti moderatique hominis. Sed omnium iniquissimum de Patribus iudicium est C. A. HEVMANNI, qui (in *Biblioth. noua Vol. III. p. 600. seqq.*) ita in Patres inuehitur, ut eos, affirmet, *in scirzia sua plus nocuisse ecclesiae christianae quam profuisse; ad hoc, tanquam ad primum fontem omnes ecclesiae romanae errores*

B 3

c) Vid. inprimis IO. CLERICI *Epp. Critic. et Ecclesiast. Ep. 4.* Multa etiam, quae iniquis dicta uidentur, occurrunt in eius *Viris Patrum*, insertis *Bibliothecae* universalis, etiam germanice uersis et separatim editis Halae 1721. Ex omnibus autem bonum *Augustinum* maxime uituperandum sibi sumit neque ignotus est libellus huc pertinens, sub ficto *Phereponi* nomine editus.

res referendos esse; constare inter omnes, eos, qui a nostra ad romanam ecclesiam desoiuissent, deceptos esse ueterum Patrum lectione; atque adeo bene se rem habere, cum hodie plerique Theologorum libros Patrum non nisi ex allegatis aliorum, ut eius uerbis utar, nouerint. Ea uero refellere non est necesse; neque quemquam esse existimo, qui *Heumannianum* illud ingenium, opinionum *παράδοξον* feracissimum, ignoret d).

§. IV

MODVS IN AESTIMATIONE PATRVM
TENENDVS. INSTITVTI
RATIO

Ex his, quae diximus, perspicuum esse existimo, ueteris ecclesiae Doctores plerumque fere aut nimis benignos aut nimis acres nactos esse iudices. Nempe ea est ingenii humani indoles, ut in laudando uituperandoque magis fere studio partium utilitatisque opinione, quam amore ueritatis et cordata rei ipsius consideratione ducatur; id, quod uel maxime in ea, de qua nobis sermo est, causa factum esse, quis non uidet? Sed ualere paullulum iubeamus praedictarum opinionum omnem istum chorum, remque ita consideremus, ut nec omnia nec nihil antiquae ecclesiae scriptoribus tribuendo, medium quendam modum tenuisse uideamur. Nunquam audiamus eos, qui, diuina uerbi diuini autoritate posthabita, ad autoritatem ueteris ecclesiae eiusque Doctorum omnia referunt; sed neque hos sequamur, qui eam etiam, quae illis iure relinquitur, autoritatem et fidem minuere et subuertere omnibus artibus elaborant. Non canos, non rugas repente autoritatem asferre posse arbitremur; sed neque hoc committamus, ut, quae antiquis Doctoribus, summis sanctissimisque uiris, merito debetur, reuerentiam negle-

d) His, qui de Patribus ueteris ecclesiae paullo iniquius iudicarunt, annumerandi etiam sunt *Pet. Baylius* alique minorum gentium eruditi, ut *Gottl. Stollius*, *Clevisi* compiler, cet. quos omnes persequi, non est breuitatis meae.

neglexisse uideamur. Non putemus, perfectam absolutamque eruditionis omnisque doctrinae speciem in libris Patrum apparere; sed neque fungos eos esse existimemus, plane inopes ad satiandum animum liberalem bonarumque litterarum cupidum. Si quid apud eos deprehendimus, quod cum humanarum tum diuinarum studio inseruire possit, id omne ad usus nostros conuertendo, reapse experiamur, facturusne is operae pretium sit, qui otii aliquam partem ad lectionem Patrum impendat.

Cuius rei ostendendae cum periculum facere iam iam propositum mihi sit: describam totam illam rationem in partes duas. Ac primo quidem, quem usum Graecorum et Latinorum Patrum libri in omni humanioris litteraturae genere praestare possint, expediam; deinde, quid ab iis praesidii ad sacrarum litterarum scientiam peti possit, exponam. e) Iam dixi summam eorum, quae efficienda sunt, nunc ea, age, separatim consideremus, eo quidem modo, quo iuuenes decet, idest, breuiter et modeste, ne docere uelle uidear.


§. V

QVID LIBRI PATRUM GRAECAE ROMANAEQUE LITTERATURAE PROSINT, DISSERITVR

Iam percurrenti mihi animo amplissimum elegantioris doctrinae campum, haut mediocrem ueteris ecclesiae Scriptores afferre usum eas in primis litteras uisum est, quae sunt e genere historico. In quo numero equidem praecipue posuerim Graecam Romanamque litteraturam; historiam philosophiae antiquae; ciuilem denique historiam cum Antiquitatum, Chronologiae et Geographiae ueteris studio.

Itaque primum dicemus de Graeca Romanaque litteratura, in qua luculentissimus sane ueterum Patrum usus est, isque multiplex. Huc pertinet primo crebra Graecorum et Latinorum scriptorum apud Patres mentio facta, unde Historiae litterariae antiquae multum lucis afferri posse, non est dubitandum. Quamuis enim Patres saepenumero nuda tantum nomina ueterum scriptorum laudent: id ipsum tamen non omni careret utilitate atque haecenus saltem prodest, ut, qui in quoque genere doctrinae

e) Primas huius rationis lineas duxit S. V. Ernesti, in elegantissima praefatione Minucii Felicis Octauio ed. Lindner. praefixa, digna sane, quae ab omnibus Theologiae et politioris litteraturae studiosis legatur: Conf. I. A. Schmidii Medirar. de studiosi Theol. uita et fati per exempla Patrum illustratis p. 78.



doctrinae clari olim habitu fuerint, cognoscamus; quae res nescio quid delectationis habet. Praeterea occurrunt loca haud pauca, e quibus historia etiam eorum, quorum mentio iniecta est, illustrari possit, quo in genere praecipua laus debetur *Clementi Alexandrino* et *Eusebio*, ut alios omit- tam. Quare non male consultum est harum litterarum studiosis a doctis- simo FABRICIO, qui in *Bibliotheca utraque* copiosissimos veterum scri- ptorum a Patribus laudatorum, indices f.) congestit, quos adire debet, qui de ea re plenius uolet cognoscere.

Illud deinde animaduertendum est, non modo nomina ueterum Graecorum et Latinorum Scriptorum clariora sed libros etiam, quos reli- querunt, saepenumero a Patribus laudari. Quod litteraturae antiquae prodest dupliciter; primum ad ueteres, qui exstant, libros suis autoribus uindicandos; deinde ad historiam librorum deperditorum, g) Age uero, exempla quaedam huius rationis subiiciamus. Primi generis exemplum hoc esto. Exstat pulcherrimus Dialogus *de immortalitate animi*, qui inscri- bitur PHAEDON, plenus socraticae sapientiae et uenustatis atticae. Hunc dialogum frequenter laudant *Tertullianus*, *Origenes*, *Clemens Alexandrinus*, *Eusebius*, ceteri, illumque semper *Platoni* tribuunt, in quo consentientes etiam habent omnes scriptores ueteres non christianos, ut *Ciceronem in Tusculanarum quaestionum* aliquo loco. Ex quibus pater, Dialogum illum certo esse *Platonis*, atque adeo falli *Suidam* qui eum in *Dialogis Aeschini* refert. Ex altero genere quamuis innumerabilia pene exempla suppetant, unum appofuisse fat erit. Commemoratur apud AVGVSTINVM uariis in lo- cis (ut in libro *Confess.* c. 4.) libellus CICERONIS, qui inscriptus fuit, HORTENSIVS, et quo nunc carmus. Quanta uero in hoc libello, qui iniuria temporum interit, iactura nobis facta sit, discimus ex eodem AV- GVSTINO, qui magnificis laudibus ornat *Hortensium Ciceronia- num* seque eius lectione ad Philosophiae studium mirifice accensum fuisse, profitetur.

f) Indices tales ex Graecis Patribus congesti, insunt in *Bibliothecae graecae* lib. V, c. I. sqq. ubi scriptores a *Iustino Martyre*, *Irenaeo*, *Athenagora*, *Theophilo An- riocheno*, *Tatiano*, *Hermia*, *Origene*, *Eusebio* ceteri. laudati, recensentur. Similes indices scriptorum, quorum apud latinae ecclesiae Doctores ut apud *Tertul- lianum*, *Minucium Felicem*, *Arnobium* ceteri. mentio fit, exhibet idem uir doctis- simus in *Bibliothecae latinae* T. III.

g) Non sum nescius, uarias utriusque huius rationis esse cautiones. Sed de his separatim agere, abhorret a breuitate mea.



Pom II 2019, QK

(1)

ULB Halle

3

004 924 436





X 2346523

Hi
2019

(1)

Farbkarte #13

B.I.G.

8	Black
7	3/Color
6	White
5	Magenta
4	Red
3	Yellow
2	Green
1	Cyan
0	Blue

Inches
Centimetres

E

**SCRIPTORVM
ECCLESIAE**

IO PRIMA

ORDINIS CONSENSV

OSITA

S V B

S I D I O

. RITTERI

SAX. ATQVE HISTOR

L. P. P. O

NSA

A

FR. GEYSERO

CENSI

scripsit

A. C. c15 15 cc LXV

ERGAE

STOPH. TZSCHIDRICHIVS

